

*Q. E. F. S.*

DISSERTATIO JURIS PUBLICI,

DE  
**ANTIQVO**  
ET  
**HODIERNO,**  
**REGNI SVECIÆ**  
**IMPERIO.**

QVAM

CUM CONSENSU AMPLISS. FACULT. JURID.

PRÆSIDE,

**VIRO CONSULTISSIMO,**  
**DNO. SAMUELE SCHULTEN,**

JUR. PATR. ET ROM: PROF. ORD.

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

**MARTINUS JAH. SVAHN,**

d. 18. Maij ANNO MDCCXXXIII.

IN AUDITOR. SUPER. HOR. ANTE MERID. SOLIT.

ABOE, Excid. Reg. Acad. Typ Joh. Kiämpe.

S:æ R:æ MAJ:tis  
SUMMÆ FIDEI VIRO,  
ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO COMITI AC DOMINO,  
**DN. S V E N O N I**  
**L A G E R B E R G ,**  
R:æ MAJ:tis REGNIQUE SENATORI CELSISSIMO,  
DOMINOMEO GRATIOSISSIMO.

**N**isi ingentis fortune & virtutis proprium esse scirem, imitari exemplum solis omnia collustrantis vegetantis & foven-  
tis, seque ad humilia queque demittentis, temerarius essem si TUA,  
CELSISSIME HEROS magnifica limina tentarem, cum tenui hoc mu-  
nere, nec ulla alia re quam argumenti pondere, commendabili. Verum  
certus TE, GRATIOSISSIMÆ DOMINE, ut dignitate cum maximis, sic  
bonitate cum optimis emulari & certare, ut ejus particeps fianc  
animum capio, TUÆ QVE CELSITUDINI, rudes has pagellas in ater-  
num devoti animi pignus, humillime offero, dico atque consecro. Cum  
lasti carissimum parensem meum immortalibus beneficiis, quoram  
reliqua in filium deridare ne graveris, clementiam Tuam supplex  
veneror & imploro,

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

Servus humiliatus,  
Martinus Svahn

S:æ R:æ MAJ:tis  
MAXIMÆ FIDEI VIRO,  
PERILLUSTRI ET PRÆCELLENTISSIMO BARONI ET DOMINO,  
**D.N. SAMUEL I**  
**ÅKERHELM,**  
REGIAE MAJ:tis REGNIQUE IN FENNONIA, JUDICII  
AULICI PRÆSIDI EMINENTISSIMO,  
MÆCENATI SUMMO.

**L**eves has primitias ex juris studio in Lyceo hœc perceptas, EX-  
CELLENTIÆ TUÆ devotamente offero, humillime orans ne velis  
eas aspernari. Tibi enim, PÉRILLISTRIS DOMINE, tanquam tutelari  
nostro numini otiumque post DEUM REGIAM QVE MAJESTATEM autho-  
ri, primos ejus fructus dicari jus & equum postulat. Namque cum  
in otio vita & sanguis est Musarum, vitam utique servas cum tran-  
quillitatem illis praestas. Tuam igitur, PRÆCELLENTISSIME DOMI-  
NE, justitiam omnes adoramus, equitatem veneramur, humanitatem  
admiramur, atque ut haec tanta laudes TUÆ EXCELLENTIÆ perpetue  
sint & immortalem gloriam pariant, Deum ardenter precamur.  
Ego imprimis, qui ad tumulum profunde submissus vivo,

PRÆCELLENTISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

Servus humillimus  
Martinus Svahn.

S:æ R:æ Maj:tis  
Magnæ Fidei VIRO,  
Generoso & Nobilissimo Domino,

Dn. OLAO NORDENSTRÅLE,  
Regis Majestatis Regniqve Justitiae-Revisioni, a Secretis  
Gravissimo.  
Mæcenati Magno, Benignissimo.

Nobilissimo atque Generoso Domino,

Dn. GUSTAVOVHELAND,  
S:æ R:æ Maj:ti, a Secretis, Fidelissimo, Patrono & Domino  
Benignissimo.

Nobilissimo Amo  
Dn. NICOLAO  
Rationum rei Militaris, in R:æ  
Præfecto & Dispensatori  
Honora-

Vobis. PATRI. Et. EVRGETA. MAXIMI. BENIGNISSIMI. OB. INNUMERABILIS. LEVIDENS. INGENII. MONUMENNTUM. CUM. OMNIGENE. PRO

A. &

S:æ R:æ Maj:tis  
Magnæ Fidei VIRO,  
Generoso & Nobilissimo Domino;  
**Dn. JAHANNI OLIVENCRONA,**  
Regii Regniqve, qvod Holmiaæ est, Judicij Aulici Consiliario  
Æquissimo, Consultissimo.  
Mæcenati & Avunculo maxime suspicioendo.

Nobilissimo atque Amplissimo Domino.  
**Dn. MARTINO SANDELHIELM,**  
Teleniorum minorum Directori supremo, Avo Materno  
Propensissimo, æternum devenerando.

plissimisque Domino.  
**SANDELHIELM,**  
Maj:tis Regniqve Cameræ Collegio,  
Amplissimo, Avunculo  
tissimo.

ra. In Paternam. Domum. Beneficia. Et. Spens. Futuri. Temporis.  
speritatis. Voto. Devota. Mente. Et. Manu. Sacrum. Esse. Jubet.

R.

VIRO

Amplissimo Soectatissimoque,

Dn. JAHANNI SVAHN,

Rationum publicarum per agrum Aboensem &c. Magistro  
atque Curatori accuratissimo, integerrimoque: Patri, vere  
patri ac omni filiali cultu æternum prosequendo.

Te patrem vere patrem, mi Pater carissime saluto, utinam &  
Tu tam vere me filium queas appellare. Laboravi certe  
& labore. Verum congenita anima labes ignorantia & perversitas,  
non permittit non patitur non finit, ut ad hanc etatem omnia  
potuerim exuere. Non desistam tamen, sed acrius in dies contem-  
dans donec monstra ista perdomuero, & me plane hominem, Tu  
similem effecero. Omnia a Te suppeditata sunt ad eam rem subsidia,  
sane quam liberaliter. Si defecero non Tua culpa fiet sed mea;  
quod malum Deus avertat! & certus sum avertet. Bis me ge-  
nuisti, o mi carissime pater, & posterius beneficium prius longe  
superat. Deus respiciat ad vere paternum Tuum animum & lar-  
giter propterea beat! Idem Deus celestis noster pater, canos Tuos,  
quotidie magis albicantes in tranquillo otio servet, ab omni luctu  
& moerore immunes praestet, Teque matri carissime nobisque libe-  
ris per multos adhuc annos superflitem conservet & incolumem!  
Sic optat, sic ardentissimo pectore vobis,

Carissimi Patris

Obedientissimus filius,  
Martinus Svahn.


Pereximie & Doctissime  
Dne. MARTINE SVAHN,  
Præsentis Dissertationis Author & Defensor solertissime,

Nondum triennium est completum, ex quo pater Tu-  
us, vir optimus mihiqne amicissimus Te juris sa-  
cris initiatum cupiens, mihi formandum fingendumque  
commendaret. Hesi aliquamdiu donec ingenium & in-  
dolem experirer: quam mox bonam docilem, flexilem-  
que animadvertisens, accepi conditionem ab eoque tem-  
pore Te in carissimis usque habui. Omitto Te in  
præsens laudare, nec enim decet, ne me una Tecum  
laudare videar. Illud non prætermiserim, in ista etate  
Te rarum assiduitatis, diligentia, modestia, exem-  
plum præbuisse. Nunc publico rationem studiorum edis,  
argumento arduo & sane quam sublimi, quod exasci-  
atum undique judicium requirat. Non tamen Tu ma-  
le quod difficultate non absterritus, maluisti Tibi ad  
scribendum optima queque proponere. Saltem primas  
lineas imperii domestici, cum veteris, tum novi adum-  
brasti

braſti, idque proprio Marte, nullo präeunte fecisti,  
quas deinceps perfectius alii forte expriment. Magis  
iſto animo quo hactenus: sequere viam quam monſtrao  
vi: iſſiſte, nec declina; ſic non fallet augurium, quod  
de Te captari optimum. Vale, dab. Ab. d. XXIV. m.  
April. Ao. MDCCXXXIII.

Tuus ex affe

SAM. SCHULTEN.



I. N. f.

§. I.

*Quid Svecia, Regnum, imperium, denotat  
exponit.*

**C**Eleberrimum illum terrae orbis tractum,  
qui Norvegiam Russiamque interjacet,  
quique à septentrione Lapponia, à meri-  
die Baltico mari, sinuque Finnico claudi-  
tur, Sueciæ nomine appello, prout ex quatuor &  
viginti præfecturis consistens, in forma regiminis Form. reg.  
describitur. Imperium intelligo potestatem, a ne-<sup>a. 2. Maij</sup>  
mine mortalium dependentem, cuncta regni Sve-<sup>1720. §. 38.</sup>  
ciæ negotia ad commune bonum ordinandi, ut a-  
deo in promtu sit me, in hujus fronte speciminis  
non aliud quid promittere, quam modum admini-  
strandi Sveciæ regnum, qualis ex pactorum lege  
**A** funda-

<sup>2</sup> fundamentalium & antiqui & præsentis temporis  
observari debuerit & debeat, exponere. Etenim  
regnum Sveciae ab antiquo independens fuit, suis u-  
tenslegibus, judiciis, magistratibus nullique externo

*Loccen: an-* imperio obnoxium. Sveriges Kromo är en Souve-  
*tig: Sveog:* rainetet af hedenhöf &c: ut testantur senatores re-  
*p. m. 41.* gni in litteris ad senatum Daniae missis anno supe-  
rioris seculi sexto & tricesimo. Quam ob caussam  
rex aeternae memoriae Gustavus magnus literas

*Loccen: loc:* Germaniae Caesaris ad se ut suum principem (cri-  
*cit: G. in* ptas initio noluit recipere: protestatus, se regem  
*vit. Gust.* esse nullo jure Caesaris imperio subjectum, qui ne  
*Ad. p. m.* glebam quidem terrae in regno Sveciae possidebat.  
*571.*

Quam autem populus habebat potestatem, eam in  
regem transferre solebat, nulla ejus parte reten-  
ta. Unde rex Olaus ante septem fere secula de ea  
re apud Sturlesonium sic locutus inducitur. *Jeg*

*Conf. Lo-* är nu den 30:de Konungen uti Uppsala som hafwer  
*cen: antiqu:* mand efter mand warit Enwälds Konungar öfwer Sve-  
*i. c.* rige. *Quod cum varia fortuna fieri animadyverte-*  
*rent & nonnunquam bene, sæpius male sibi cedere,*  
*donec ad extremum omnia verterentur: recepta*  
*libertate concilium mutarunt, cumq; bona desig-  
nandi regis voluntate majestatem cum eo commu-  
nicarunt; partem sibi retinuerunt. Hoc quomodo  
factum fuerit deinceps videbitus, sed quædam an-  
te dicenda sunt.*

*De formis rerum publicarum in genere differit:  
regularium tres species proponit, iisque quartam  
addit.*

**O**MNES homines, qui legibus vel moribus reguntur, aut regulari, uti vocant, forma regimini utuntur, aut irregulari. Regularem formam dicunt esse eam, in qua una velut anima unius corporis vel natura vel pacto conjuncti totam universitatem regit, unaque sic voluntas omnes summi imperii partes ad commune bonum dispensat; ita, ut videtur, appellata, quod ad rationis regulam comparata sit, ac ad illum finem obtinendū apta. Irregularēm; quando una plures animae, plures diversorum corporum voluntates, publicorum negotiorum fatā; partito jure componunt. Cujus appellationis rationem satis luculenter insinuat ille apud Curtium: qui neque mundum duobus solibus regi, neque duo summa regna salvo statu orbis terrarum consistere posse, dixit. Regularis omnino imperii tria exempla afferri solent, quorum unum in eo ponunt: si uni homini summa rerum committatur, alterum; si uni consilio constanti ex præstantioribus in civitate viris: tertium, si universorum civium cœtui, qua tali, vis imperii tribuantur. Hinc non aliam regularem administrandæ civitatis formam agnoscunt, quam monarchicam,

aristocraticam & democraticam. Quocirca si  
meæ tenuitati liceat, libere quod sentiam aperire,  
vereor ut a summis viris talia docentibus, quarta sit  
prætermissa. Nam & ratio docet, & res ipsa lo-  
quitur, datas esse & dari quoq; civitates & respub-  
licas, in quibus nec rex possit omnia, nec optimas,  
neque populus; sed inter se communicatam po-  
testatem teneant, nonnunquam ut rex cum optimas  
de summa rerum decernat; aliquando ut  
cum populo; interdum ut rex cum populo suam  
ita voluntatem uniat, ut unum corpus fiat ex duo-  
bus, cujus ille capit, hic membrorum vicem su-  
beat; aut alia qvavis ratione. Quod cum sit com-  
munio imperii inducitur, ac voluntas populi pro  
regis voluntate habetur, & quicquid populus consti-  
tuerit, decreverit, fecerit, idem rex fecisse cense-  
tur. Non contra; nec enim quod rex voluerit, id  
continuo voluisse populus putandus, nisi actus le-  
gi convenerit, aut rati habitio accederit, aut nego-  
tii indeoles consensum tacitum arguerit. Hujusmodi  
modum regiminis, si verum fateri volumus, & rati-  
onem potius quam præjudicia opinionum sequi, non  
minus regularem esse puto, quam eorum trium; quos  
modo nominavi, aliquem, cum & eum ratio pro-  
bet & salutem populi procurare aptus sit, & ali-  
cubi etiam, quod deinceps ostendetur, utiliter re-  
ceptus in rerum argumentis obtineat. Etenim quid  
in administratione reipublicæ regulare, quid irre-  
gu-

5

gulare sit ex ratione potius usuque populorum, fineque civitatum, quam ex opinionibus doctrinischolarum dijudicandum esse licenseo. Et incivile puto eos, qui in rebus agendis versantur, quique facultatem habent salutem constituendi publicam, in otio disputantium conclusionibus ac placitis adstringere, idque eo magis cum quid rectum sit, quid aberret, non aliunde quam ex eorum voluntate unde jus oritur sit metiendum. Cumque talis respublica unitatem suam, quæ essentiam, quæ accidentia, ut quidam; qua sujectum commune, quæ proprium, ut alii volunt; servet ac, totam majestatem cum singulis partibus summo jure teneat, easque una voluntate dispenset, quid sit, quod ad regularitatem ejus si ita loqui licet, desit, perspicere non valeo. Maneat igitur, quas illi tres regulares imperii formas ponere solent, iis quartam esse addendam, quæ ex illarum duarum vel trium, salva unitate imperii, diversa temperatione exsurget, ut cum singulis aliquid commune; sed non nihil tamen proprium trahat.

### §. III.

*Regnum Sveciæ ab antiquo, regio imperio gubernari solitum ostendit.*

**R**egnum Sveciæ ab initio reges tenuerunt, quos ad fastigium illud dignitatis non ambitio, nec po-

popularis favor vel aura, sed spectata inter bonos  
moderatio & virtus, in primis bellica evexit. Plurium  
regimen aut universorum raro vel nunquam admiserunt;  
sive quod multorum cupiditatibus explendis se  
imparés judicarent sive, quod unum, quam plures,  
aptiorem rei gerendae putarent, quod in antiquo  
more positum, postea in leges relatum cernimus:

*Cap: 2. A.* Øfver alt Sveriske stall eif<sup>t</sup> Konninglig Krona eller  
*B. L.L.* Konunger wara utan en. Sed cum multi reges no-  
minantur, qui dispari gaudent potestate, dividen-  
dum nobis hoc videtur nomen, ut quales reges Sve-  
ciæ & olim fuerint, & nunc sint eo clarius possit  
intelligi.

#### §. IV.

*Regiae potestatis divisionem, quatuorque gradus  
affert.*

**O** Uicunque igitur populus regem sibi sumit, aut  
pleno jure constituit, omneque suum jus in  
eum & potestatem transfert; aut ejus potestatem  
circumscribit, idque certis conditionibus aut legi-  
bus facit, quæ dum recipiuntur, fundamentales ap-  
pellari solent; aut præterea cautionem addit, eas-  
dem ni servaverit, pro rege non habendum, vel  
factum pro infecto reputandum; aut suam potesta-  
tem non transfert, sed communicat, futuriq<sup>e</sup> regis  
voluntatem ad suam voluntatem trahit; idque vel  
ea

ea lege facit: ut unum cum populo imperii subje-  
ctum constituat, ejusque voluntatem non suam in  
nebus imperii lequatur, & quamdiu in illa unione  
persistat, tamdiu rex sit, quando discesserit, popu-  
lum liberum futurum; vel alio modo. Hinc appa-  
ret regiae potestatis in primis quatuor dari gradus:  
ex diversa constituentium voluntate velut fonte  
promanantes, ac prout vel uni homini absolutam in  
se & sua potestatem tribuant; vel lege aut conditione  
limitent; vel imperium ipsi retineant, regem fal-  
tem in communionem ejus admittant; ita, vel ab-  
solutum, vel summum, vel commune imperium  
nasci: adeo ut in prima classe ii, qui vere sunt &  
diciuntur monarchæ, sint censendi; in secunda & ter-  
tia minus plene proprieve ita appellati; postremum  
vero gradum reges coimperantes, i.e. conjunctim  
cum populo regnantes, occupare. De primo ac  
secundo genere, sintne summa nec ne? nulla dubi-  
tatio incidere posse videtur, nam quod absolutum  
est. idem quoque summum sit necesse est: quod  
summum id non continuo absolutum; nec tamen  
summum esse definit, quocunque est legibus cir-  
cumscriptum, modo obligatio cadat in nudum a-  
ctus exercitum, non in facultatem. In tertio &  
quarto gradu regium imperium nec summum esse  
definit proprera, quod habendi modus imminutus  
est per conditionem, cum eam praestare sit penes  
promittentem, sicuti nemo dixerit dominia rerum  
amis-

amitti, quas animo vel corpore retineas, et si possis eas derelinquere. Unio autem illa regis & populi, qualis in quarto genere perspicitur sicut non imperii summitatem tollit, cum dominium plurium non minus est dominium, quam unius; ita nec unitatem; siquidem ex coniunctione illa voluntatum regis atque populi unus quasi sit ex multis; unus videlicet spiritus, qui corpus illud imperii ex distantibus constans partibus conjungit & animat, non secus ac in amicitia & in coniunctione illa conjugum, si reliqua se recte habent, una mens unaque caro efficitur. Id quidem ambabus manibus concedimus non monarchicum esse hujusmodi imperium, nec pure & simpliciter regium; sed vere tamen regium & esse & dici cum ex multis aliis, tum ex eo putamus in primis, quod nihil usitatus est, quam conjuncta ex diversis nobiliori ex specie nomen, & dignitatem quoque recipere.

### §. V.

*Singulas ejus species in regno Sveciae, sed diversis tempotibus obtinuisse docet.*

**O**MNINO si animum attenderimus, ex quatuor dictis speciebus sive gradibus nullum esse, qui in regno Sveciae non aliquando locum habuerit, reperiemus. Etenim quamdiu regnum fuit electivum, alter gradus obtinuit, imo & aliquo saltem modo

ter-

9

tertius. Sed introducta lege successoria, & per eam  
crescente regnandi libertate prior gradus invalidit,  
donec & eo repudiato quarti generis prærogati-  
vam felici fidere amplectemur. De quibus ta-  
men singulis, anteqvam ad rem præsentem ve-  
niatur, paucis dicatur.

### § VI

*Regie potestatis secundi, tertiique gradus ratio-  
nes, & tempora explicat.*

**Q**uo tempore regnum Sveciæ primum colli cœ-  
perit, qvos reges habere, qvibusq; eos conditio-  
nibus sibi præfecerit, difficile est in tanta vetustate  
definire cum istorum temporum monumenta, vel in-  
certa sunt, vel sibi non similia. Id saltem non vero vi-  
detur consentaneum, bellicosam gentem nec in-  
genio carentem tam fuisse sui oblitam, ut uni  
in se omnia temere videatur permisisse. Inprimis  
cum vita libertas existimatio, cæteraq; naturæ  
vel fortunæ bona apud omnes sanos in tanto præ-  
tio habeantur, ut ea pro se & suis quos caros ha-  
bere, tuerique debent summa vi defendant; tan-  
tumque absit, ut magni cœtus eam curam potu-  
erint abjicere, ut propter hanc caussam inprimis  
videantur coivisse. Enimvero fieri forte potuit,  
in ætate illa aurea si quæ unquam fuit, ubi  
candor & simplicitas regnabat, & plus apud ma-  
iores nostros vitiorum ignoratio valebat, quam a-

libi cognitio virtutis; ut officio magis quam verbi, fidei quam pactis crederent: sed non diu durare iste status potuit, regibus per humani indolem ingenii suam potentiam; subditis suam libertatem justos ultra terminos prolatum ire cupientibus, unde dissidentiam suspiciones metus contentiones seditiones & denique bella civilia oriri necesse erat; quibus tamquam pestibus ne periret regnum, placuisse videtur fines potestati assignari, ex quibus quantum libertati competeteret simul posset intelligi. Atque haec origo legum ut alibi, sic in regno Sveciæ fundamentalium, hoc principium, haec caussa ponenda esse videtur. Nec enim hic quidquam certi affirmare audeo, cum probabilitas tantum sequor. Quamquam sicut omnium rerum initia rudia esse solent, ita prima inter reges populumque Sveciæ pacta valde simplicia fuisse omnino est fatendum. Neque enim maiores nostri tamdiu dum in idolorum cultu herebant quidquam certi a futuris regibus stipulari erant soliti; neque reges alia quam vaga incertaque formula se populo obligasse animadverto. Nimirum quoties novum regem more majorum augurari oporteret, toties eidem paululum infra regalem thronum sedenti poculum porrigebant vel cornu vino plenum quod ille cum libarat, continuo votum, de insigni quopiam facinore edendo nuncupare debebat idemque jurejurando confirmare; eo autem facto iolium con-

concendebat, riteqve creatus habebatur & ad tutelam regni atqve civium, prout tunc erant tempora, satis firma vinculo obligatus. Eum sive morem sive legem turpiter qvondam fœdavit, calidaqve interpretatione profanavit rex Ingellus, Heroti filius Olaiqve pater Trætelgii, qui, dum singulæ fere Svecani orbis provinciæ singulos habebant regulos, ut æmulos everteret ipse autem solus regnaret; id sibi juris ab hoc votivo poculo datum finxit, ut posset qvoqve id facere non injuste. Blande igitur ad nova sui auspicia regni invitatos qvot eorum potuit perducere, tot regalibus primum epulis acceptos, deinde vino somnoqve sepultos, subjectis domui in qva dormiebant facibus ferali incendio combussit, legemqve tulit qvam adhuc tenemus, de qva ante diximus; ut universam super Sveciam unus folummodo rex unaqve corona regia esset. Sed fallere hoc erat, non regnum augere, talibusqve astutiis adstringitur, non solvitur perjurium. Vera enim amplitudo dignitate qværitur, utilitatis autem species animum pepulit Ingeldi ut utile putaret, qvod honestum non erat, qvo regnum qvidem tantum abest ut augeret, ut illud potius minueret & ex justo & legitimo imperio, qvoad posset, latrociniū faceret. Verum per Evangelii claritatem dispusa istius seculi caligine, cum hominibus nostris major in humanis etiam rebus lux afulgere inciperet,

ret, cui prudentia & virtus & humanitas & uberior juris officiorum cognitio successere, facile perspiciebant lubrica illa promittendi formula regni statui paullo minus consultum esse. Proinde & eam abolendam, & alios libertatem inter & imperium terminos ponendos, eosque tam luculenter signandos esse decreverunt, ut si quis in eam impetum tentaret facere, manu id teneri posset, non ambigua disceptatione opus esset. Cui rei gerenda, cum non unum tempus omnibus aptum sit negotiis, oportunitatem, ut videtur, elegerunt vacantis forte per regum mortes, throni: quo tempore cum liberi erant siveque juris facti plenum quoque jus habebant in medium consulendi, de que rebus communem ad salutem pertinentibus proprio arbitratu ordinandi. Qvarae cum liberum ipsis erat regium imperium retinere vellent nec ne; quando placuerat retinere, quis dubitet, potuerint ne quoque idem quacunque lege aut conditione vellent, circumscribere. Hinc in religionem leges justitiam & judicia ut jurarent electi reges ante quam admitterentur ad imperium, decretum; hinc regnum indivisum atque integrum qua totum qua partes ut conservarent; idem cum consilio regni Senatorum regerent; tributa, inconsulto vel invito populo nova non indicerent; securitatem tutelamque adversus injuriam; internam & externam omnibus sine respectu personarum

præ-

præstarent; jura ac privilegia universis ac singulis  
incolumia servarent, & cætera ejusdem generis. In-  
de populus ut regi sibi hac ratione obligato. bre  
viqve intervallo coronando fidelitatem & obsequi-  
um promitteret, posteaqve jurisjurandi religione  
confirmaret, receptum; ejusqve rei in majorem  
fidem perpetuamque memoriam, ut scriptæ cau-  
tiones utrinqve darentur pariter & acciperentur.  
Hujusmodi pactis ex conventis firmam obligatio-  
nem mutuaqve officia esse nata negare qvis susti-  
neat? nemo certe, nisi qvi omne jus naturæ e-  
versum eat omnemqve pactorum rationem sub-  
latum. Qvo si audaciæ qvispiam procedat, nihil  
ominus tamen & ipse falletur, & veritas pro pa-  
ctis stabit. Eorum autem ratio hæc semper est  
eritqve, ut fide ab uno violata nec alter dictis ul-  
tra stare teneatur. Singula enim promissorum ca-  
pita alia aliis permodum conditionis innexa sunt  
& implicita, ut qvi prius in præstanto defecerit,  
suo simul facto alterum perfidia liberaverit, si id  
qvod convenerit non fecerit; adeo ut frangente  
fidem rege populus liber ab imperio censeatur;  
rumpente populo, rex tutela solutus intelligatur.  
Sunt, qvi cum negare non sustineant ex hoc pa-  
ctorum genere validam utrinqve obligationem na-  
scit; sic tamen distinguunt, ut dicant a rege saltem  
illam posse ad effectum perduci; aliam rationem  
esse populi. Regem enim suum, Dei vicarium,

di-

divinaqve manu traditam potestatem tenentem in ordinem redigere, sacrilegii instar putant. Recte omnino si de jure populi violatum sit nec ne, an- ceps disceptatio fuerit. Si res tam clara sit, ut teneri manu possit; non item. Enimvero cum na- tura omnes homines æqvales fecit, neminemqve alteri in peculium dedit, nec qvicqvarum juris in eum contulit nisi in quantum ipse sua voluntate sele alterius potestati subjucerit: si subjectionem eam conditionib<sup>9</sup> limitari placuerit; eas utiq servari simul jus naturæ præcipit: adeo, ut his neglectis, sublata subjectione & imperio, omnis illa facultas regia tollatur resqve ad priorem statum redeat: servatis autem, regi tanta reverentia honor obsequiu- um debeat, quantum Dei in terris vicario præ- stari convenit. Ita regem qua regem cogere non possunt; qua æqualem possunt & obsequii divor- tium facere. Hunc putamus non aliud majesta- tis characterem a Deo, regibus creatis imprimi, nunquam sane delebilem quandiu ea lege imperi- um teneant, qua acceperint. Qui aliter sentiunt ii non solum iniqui in homines, sed in Deum im- mortalem etiam impii sunt habendi; ab eo enim potestatem servandis hominibus institutam, in per- niciem hominum vertunt, prorsus, qvasi immani- tate & perfidia Deum agere liceret. Fateor pru- denter fieri, qvando pactis fundamentalibus adjici- tur legis commissoriæ aut alia qvæpiam ejusdem  
ge.

generis cautio; qva rex fidem fallens, suo non populi judicio suaqve voluntate damnatus privatusque potestate intelligatur. Sed si cautio ista omissa fuerit, non propterea populus jure suo cadet. Condito enim illa pacto subjectionis & imperii tacite inesse videtur, ut etiam si expressa non fuerit, nihilominus tamen valeat. Atque ita fere apud nostros homines haec res semper intellecta fuit. Ex hoc capite Westrogothi Ragvaldum cerebrosum tanquam hostem non regem interfecerunt: Sveci vero multos: in primitis Birgerum Magni filium, Magnum Smekium, Albertumqve; Ericum item Pomeranum, Christiernum I:m. Johannemqve II:m; Christiernum quoq' itidem II:m, Ericumq' XIV:m, & Sigismundum reges vel deseruerunt vel ejecerunt vel abdicarunt; omnibus certe subjectionem & obsequium renunciarunt. Quid? quod ejusmodi cautionum etiam si expressam formulam non tenerent, adhibebant tamen aliquid simile quod eandem vim habebat. Quoties enim novo regi subjectionem promitebant, semper cautelam illam adhibebant in quantum fieri posset salvo utriusq; jure: Ut omni rått håds nom hans och wårdom. Quæ verba quid velint, quid spectent quis non videt? nimirum ita se morem regi gesturos si nihil contra religionem leges libertatem reliqua, imperasset; si lecus faceret, jure suo usuros nec ipsi parituros. Quorsum haec? nisi ut intelligas, tertium gradum regii imperii quem posui.

B: L.  
Cap. 5.

suimus plures licet species pro constituentium voluntate admittat, nostræ tamen genti omnino nec **incognitum** nec aliquando receptum non fuisse.

§. VII.

*Absoluti imperii initia, progressus, exitum even-  
tumque exhibet.*

**C**um in hoc statu regnum Sveciæ per multa secula durasset atq; ut ingenia regnantium erant se vel bene vel male habuisset, demum infausto velut sidere exortus Christiernus II, tyrannus idem dictus, qui proculcatis omnibus divinis humanisque juribus cædibus & sceleribus cuncta complevit, vertissetque ad extremum omnia nisi divina clementia statorem oportune misisset Gustavum de Jun: 1523. Wasa comitem regemque hujus nominis primum. Hic omnis ætatis & memoriæ laudatissimus princeps quantum boni Sveciæ regno fecerit, nemo hominum effari nec mea tenuitas animo complecti valet. Parum enim erat, quod vitam libertatem reliqua, quæ bona vocari solent ad civilemque spectant vitam incolumia civibus præstaret, nisi animis eorum viam ad coelestem quoque apertiret. Ille religionem continuis erroribns inquietam repurgavit, libertatem & jura gentis vindicavit, hierarchiam exterminavit, possessiones vi vel clam vel precario e publico distractas revocavit, in-

RifSENS

Xå s Vt  
strifwelse

Streng-  
nes den 6.  
Jun: 1523.

summa: omnia fecit quæ ad boni regis officium pertinere unquam videantur. Itaque illius quidem memoriam nulla delebit oblivio; sed revirescat in animis nostris gloria tanti regis & in singulos dies nova incrementa capiet. Huic tam bono regi, ut aliquam gratiam majores nostri haberent, referre autem nunquam poterant, primum ipsi plenam potestatem tribuerunt; At han borde ester lagen full  
 mächtig wara/ at råda och styra Borgom och Landom &c; deinde & successionem regni in ejus familiam contulerunt. Hinc vero regiæ potestatis primi gradus initia initia sunt petenda. Etiamsi enim non plus est juris in successione quam prima electio contulerit, tamen & major dignitas conciliari & major fides adhiberi solet iis qui posteris regnum relicturi sunt, quam iis, quorum cum ipsis omne jus familiae exspirabit. Plenæ autem potestatis concessio: At han såsom en fulmächtig Konung skulle råda &c., quæ huic regi contigit ante eum nemini, jus hoc tempore regium amplificatum esse atque auctum luculenter docet. Sed in quo & quantum illa amplificatio intelligenda sit, non æque est facile definire. Comparetur jusjurandum hujus regis cum priorum formulis temporum, reperies aut nihil aut parum esse mutatum. Sed si utriusque temporis acta contuleris, magna dissimilitudo existet. Num vero perjurio se obstrinxerit rex Gustavus, aut legi huic fundamentali fraudem fecerit? mini-

Wadstena Herres  
möte. åhe  
1524. in  
OG. §. 3.  
Urföre-  
nig i Bes-  
teråhs d.  
13. Januar:  
1544.

me vero; sed jure concessso utebatur, & mentem legis sequebatur, & id quod publice utile videtebatur, invitis licet verbis pro summa lege habebat.

Domare Recte enim in regulis judicium: Then menige mans  
Regl. 13. hästa år then yppersta lagen, och therfore thet som fin-

nes then menige man till nyttö vara/ det bör hållas för lag/ ändoch at strifwen lag efter orden synes an-norlunda lnda. Quod ni ita esset, ut plenitudo imperii ei concessa publicas leges ad salutem populi accommodandi jus dedisset, quomodo quæso fremente pontifice, excommunicato decessore, invitis episcopis, indignantibus senatoribus, plebe quo-que in partes distracta, ea moliri, ea exsequi susti-nuisse? quæ tamen egisse eum videmus & gaude-mus, & in omne ævum mirabimur. Ita ille reli-gionem cultumque Dei ecclesiæque directionem at-que iura, non ad alendam avaritiam fovendum ve-fustum episcoporum aut clericorum nec ad sagi-nandum pigrorum monachorum ventres, sed di-vini ad verbi publicæque utilitatis regulam compo-nenda esse censuit; Ita autoritatem senatorum, quatenus relictis rei privatæ studiis ad bonum pub-licum spectarent, conservandam stabiliendamque; si contra, frangendam esse contumaciam. Ita, pa-trimonium regni maximam partem ab episcopis clero claustrisque hactenus iniuste detentum ad coronam esse revocandum, ad publicosque sumtus adhibendum. Eodemque modo de iatributis, de ve-

eligalibus in comitiis cum populo agendum; non  
 ut ante in provinciis, ab episcopis, legumviris no-  
 bilibus plebeque decernendum. Jura & privilegia  
 universis ac singulis, quæ moderata erant, regno  
 non damnosa farta testa conservanda; quæ nimia;  
 tollienda aut ex æquo & bono temperanda. Quibus  
 ille interpretationibus & restrictionibus non capitu-  
 lationis vim elusit, sed sic vel maxime servavit.  
 At rex Ericus Gustavi regis filius, aliam vitæ vi-  
 am secutus, cum amplitudinem potestatis a patre  
 acceptam non in salutem civium sed propriam li-  
 bidinem verteret, ingratissime licet omnium bono-  
 rum per vim & metum ad summum perducere  
 fastigium laboraret ac non modo vi aperta, sed &  
 speciose iuris titulo in vitam fortunas bona inno-  
 centium hominum grassaretur, cum multa impo-  
 tenter & crudeliter egisset, a principibus fratribus  
 consentiente senatu populoque folio regni deturba-  
 tus, in turpi & iqualido carcere flagitiosam vitam  
 finivit. Hunc secutus rex Johannes frater cum fi-  
 lio rege Sigismundo mitius quidem agebant, sed  
 tamen arcum imperii altius etiam quam pater eo-  
 rum intendebant, regniqve imperium qva civile  
 qva ecclesiasticum mutare in multis contendebant;  
 verum irrito conatu cum fata regnum protegerent.  
 Sub tertio filio Carolo nono rege, eodem fere qvo  
 sub patre pede, regnum Sveciæ stetit. Sed Gu-  
 stavus Magnus immortali dignus memoria avitæ

laudi fastigium velut imponebat, dum novam regiminis formam adornabat; multas salutares leges ferebat, variaqye vitia ecclesiastico in regimine tollere laborabat, ejusque rei gratia generale consistorium instituere cogitabat; qvod tamen mortalitatis lege prævento exseqvi non dabatur. Cujus divini herois filia Christina Augusta, paullulum de severitate disciplinæ remittens, benignitate & clementia sibi omnium animos devinciebat. Illius ex amita frater Carolus Gustavus, rex bello & pace inclytus maximam partem in castris agens domi, parum vel nihil mutavit. Sic demum ad ea tempora delabimur qvibus regia potestas ad id fastigii pervenit, qvo altius surgere non potuit. Etum id tenente sceptrum incomparabili rege divo Carolo XI:mo, Etenim hic immortalis princeps qvando tanquam bonus pastor populi, & verus pater patriæ ad pacem & ad bellum in perpetuum ordinare rempublicam cogitabat, remqve militarem ad diuturnitatem constituere laborabat, eaqve res magnos sumtus reqvirebat annuos ad hoc reditus designari oportere judicabat. Ad quam rem perficiendam cum publicis ex legibus prout ad eum diem intellectæ erant impedimenta cerneret magna atqve insuperabilia, qvod & eum ad certam regiminis formam alligabant, & ad senarum pariter ac comitiorum authoritatem adstringebant, nec legis ferendæ potestatem sine consensu

sensu populi permittebant, commodum accidit, ut  
 regni ordinies in tribus comitiorum temporibus an- Kong. M.  
 no primum superioris seculi octogesimo, deinde Aproba-  
 & secundo & nono supra octogesimum huic re-tion den  
 giæ dividiae subvenirent, easdemqve leges publi-<sup>10. Dec.</sup>  
 cas ita declararent vel mutarent: ut rex tanquam <sup>1680.</sup>  
 supremus ius a Deo constitutus magistratus re- Kong. M.  
 gnatum suum hereditarium libera manu, proprio Råds och  
 arbitratu , nulli nec formæ regiminis nec autho- Stånd.  
 ritati senatus vel comitiorum nec consenui popu- Förlaring  
 li alligatus gubernaret, nulliqve propterea præter- den 16.  
 qvam Deo ad rationem reddendam obstrictus es- Kong. M.  
 fet: adeo ut qvicunqve rebus a rege gestis vel ge- Råds och  
 rendis detrahere auderet, aut in eas censuram ini- Stånd.  
 que exerceceret, pro ruptore juratae fidei patriæqve Hörflar.  
 proditore haberi deberet. Sic gloriose rex memo- den 22.  
 riæ, <sup>hæc</sup> etim bona populi voluntate, solutis vinculis Nov. 1682.  
 plenam regnandi libertatem impetrasset, nova ta- Kong. M.  
 men potestate moderate utebatur; omniaqve sua Approb.  
 consilia dicta facta cogitata ad Dei gloriam & bo- den 9. De.  
 num commune dirigebat. Ita solus imperium ge- <sup>1682.</sup>  
 rere cœpit senatorum qvidem regniqve ordinum Cassat.  
 non spredo, sed tamen nec numerato suffragio; sic Act. den'  
 leges utiles ac salutares reipublicæ ferre, veteres <sup>14. Mart.</sup>  
 qua inutiles abrogare; sic feuda alienata revoca- Kong. M.  
 re publicasqve possessiones ad coronam iterum re- Approb:  
 ducere: qvibus qvidem injuriam nemini fecit, sedd. <sup>15. M.</sup>  
 xarium regni jure suo locupletavit, vtqve esset <sup>1689.</sup>  
 unde

unde statum publicum tueretur stipendiaque magistratibus ministrisque solverentur, effecit; magnam vero partem ad alendum perpetuum militem adhibuit, quo paratiorem eum haberet cum necessitas urgeret aut usus patriæ exigeret. His veluti gradibus ad summum culmen regia potestas surrexit. Plane quoties illorum temporum formam faciemque mente contemplari soleo, quibus Gustavus ille primus Carolusque XI. habenas regni temperabant, in iis evideat videor mihi videre aliquid tale, quale Augusto & Tiberio regnantibus populo Romano contigerat, rebus nostris accidisse. Etenim Romani in Augustum omne imperium & potestatem suam lege regia contulerunt; idem, ut modo dixi, majores nostri Gustavo I. fecerunt. Plenitudine illa potestatis non ultra utebatur Augustus quam ratio belli & pacis ac salus populi requirebat; in reliquis multa ille populo multa senatui reliquit; & in ipso principatu imaginem libertatis conservavit. Gustavus eodem modo mutatis saltē iis quae falvo statu regni tolerari non poterant, de cætero universis atque singulis omnia antiqua jura servavit. Sed Tiberius simulachrum illud libertatis ab Augusto relictum senatui populoque ademit, ne vis principatus, ut dicere solebat, resloveretur; cuius eam conditionem esse, ut non aliter ratio constet, quam si uni redatur. Eandem rationem Sveciæ ordines imitan-

do

do comprobarunt dum regi Carolō infinitam potestatem decreverunt, ut ex memoratis ante locis cuilibet constare potest. Qyanqvam de cætero inter hosce principes non alia comparatio institui potest qvam ea, qvæ inter omnium mortalium optimum & pessimum, locum queat invenire. Nam sicut hic virtutibus, ita ille vitiis inclaruit; alter patriam ornare omniqve modo augere, bellicqe & pacis subsidiis in perpetuum fundare apud animum suum constituerat: alter suam delere, & funditus perdere, & e rerum natura exterminare proposuerat. Ille pietate, humanitate, fide, clementia, omniqve regia virtute, qvamdiu inter mortales erat, cum omnium bonorum voluntates sibi conciliabat, tum morituro sibi in superstitum animis immortalem laudem parabat. Hunc propter crudelitatem & flagitia vivum omnes, propinqvi etiam deserebant, mortuum sepulturæ honore privabant. Sed hæc haçenus, Undecimum autem Carolum regem diu beatissimum ea tempora exceperunt, ut si ex eventu non consilio de rebus judicari oporteat diceres: Senatum populumqve regni Sveciæ non pro cætera sua egisse prudentia dum tantam in unius hominis voluntatem, vim ac potestatem conferebant. Non qvod ille divinus vir & heros unqvam aliqvid contra communem bonum designasset, nec qvod successorem degenerem regno reliquisset, sed qvod fortuna regni

Sve-

Sveciæ jam velut peracto; suo circulo, fessa quodammodo quietem sumere volebat futurosque rerum successus, ad tempus saltem agentium consilio permettere. Sub hoc tempus in theatrum mundi prodibat arctous ille Hercules, illud non septentrionis modo sed totius terræ orbis miraculum Carolus XII, regnumque capesset, idque tanta animi magnitudine, fortitudine, constantia gerebat, ut a tribus licet invictis gentibus conjunctis viribus circumventus, & lacesitus non singulis non universis cederet, nec tergum verteret, sed cum una post alteram re feliciter confecta, ad regni statum tutiore loco locandum omnem virium vim & consiliorum vigorem converteret. Verum emenso castrensis vitæ spatio fere dimidio, cum rebus in deterius labentibus consilia etiam ut fieri solet perturbarentur, multa circa leges, judicia, magistratus, tributa, monetam, reliqua, mutavit vel admisit, quæ absqve hoc fuisset tam bonus & amabilis princeps intacta certe reliquisset. Itaque omnis ea in regem patrem collata, sed non per omnia usurpata, potestas, in filio rege consummata plenum effectum accepit.

### §. VIII.

*Communis imperii initia, causas, modum, rationes proponit.*

**C**Æterum per luctuosissimam mortem hujus invictissimi regis soluto illo vinculo, quo Gustavianæ

vianæ familiæ per legem successoriam nostra gens  
 devincta erat; cum antiquam libertatem ordinan-  
 di rem publicam postliminio velut recepisset, de que  
 forma imperii ac modo uniusne an plurium aut  
 universorum vellent imperio regi, consultandi; Pri-  
 ma ut videtur deliberatio suit, utram præcæteris  
 admittere utile magis videretur? Sed cum una at-  
 que altera & ignota erat & autoritate vetustatis  
 carebat, placebat tertia: ut more majorum regi-  
 um nomen retinerent. Sequebatur altera: quantum *Vest.* den.  
 futuro in te regi juris ac potestatis conferrent? *21. Febr.*  
*Displicebat* *absoluta*, ut odiosa & liberis pericu-<sup>1719</sup>.  
*Ista* hominibus, cujus & incommoda tam multis  
 argumentis perspexerant; quam propterea rejicie-  
 bant & exterminabant, idque magna voce facie-  
 bant, & quemcunque ejus cupidum capite, bonis,  
 fortunis multandum esse pronunciabant. Sed &  
 alteram istam limitatam legibus nec probabant;  
 quod ab ea ad absolutam facilis esset transitus.  
*Placuit* igitur alium excogitare modum, quo fu-  
 turum regem suum secum ita unirent & conju-  
 gerent, ut salvo suo statu non posset ab illorum  
 partibus discedere. Jam enim longo rerum usu edo-  
 cti perspiciebant in rebus humanis nihil quidem  
 excepta pietate reperiri, quod tam valeat ad con-  
 junctionem animorum & ad fidem, quam utilita-  
 tis ex æquo communionem. De unionis autem  
 modo sic placuisse videtur, ut qui rex electus fo-  
 ret,

ret, si in regno confirmari vellet in unum corpus  
 cum Ordinibus tam arcte se uniret, ut una volun-  
 tas efficeretur: qvæ si forte contra communem  
 spem & vota casu aliquo collisa, non constaret aut  
 secum ipsa dissideret, ut imperii unione salva ce-  
deret regis, populi vox valeret: & ne inanis cautio  
 foret, si rex factus fortasse legi nollet stare, cui, ante  
 qvam fieret, se subjecerat cum inferiori in superio-  
 rem neqve ullam jurisdictionem, nec aliud jus co-  
 gendi naturæ lex suppeditat; ut pignoris loco, vin-  
 culo legis commissoriæ constringeretur hocce fœ-  
 dus. In specie; ut leges ferendi potestatem, tam  
 qvam reservatum populi, intactam atqve integrum  
 penes regni ordines relinqveret. (2) ut regnum in-  
 divisum conservaret nec ulla ex parte alienaret re-  
 giamqve potestatem præscriptos ultra limites ex-  
 tendere non tentaret: (3) ut unitatem receptæ ve-  
 ræ in regno Sveciæ religionis omni conatu tuere-  
 tur & defenderet. (4) ut qvemadmodum nullo suo  
 jure, sed libera ordinum voluntate, ad regnum per-  
 veniret, ita proli suæ masculæ cum regia conjugæ  
 per divinam gratiam suscipiendæ, neminiq; alii id  
 relinqveret. (5) ut ante satisdationem editam, jus-  
 jurandum præstitum, coronationem factam, imperi-  
 um non capesseret. (6) ut in singulis majestatis  
 partibus exseqvendis expressam formam regiminis,  
 (7) in materia vero comitiorum ordinationem de  
 comitiis, postea consignandas vel augendas seqvere-  
 tur

tur atqve observaret; (8) ut si securus faceret, si contra qvid committeret, aut jure regni caderet, aut factum pro infe&to & irrito habendum esse consentiret. Hic ne mihi qvis vitio vertat, qvod in materia tam delicate & sublimi ita tere loqvar, qvæ si consiliorum particeps & membrum comitiorum fuerim: ingenuæ fateor me hic nihil certi definire, nec enim posse, sed ex iis qvæ acta sunt, qvæque in omnium manibus verulantur, de modo, qvo agi potuerint, conjecturam facere. Qvare si qvid posuerim aut scripserim qvod subjectioni, regiæ majestati, qvod reverentia ordinibus debitæ, non respondeat, id hercule invitus feci; qvod omnes eos, qvi hæc legerint aut viderint, oro & obtestor ne voluntati meæ, sed tenuitati & ætati tribuant: idqve non de iis modo, qvæ haec tenus scripta sunt, sed & qvæ deinceps dicentur, expresse cautum volo. Hisce cautionibus vel legibus cum suæ libertati, qvæntum humana fert conditio, abunde pro visum regni ordines putarent, restabat; ut electio nem facerent personæqve electæ dictas conditio nes præsentarent, exspectarentqve an vellet eas recipere. In qvo tam promtam & clementem utriusqve regiæ majestatis, unius post alteram brevi intervallo, voluntatem invenerunt, ut non exspectata petendorum expositione vota ordinum præverterent omniaqve inirent, promitterent & jura rent, qvæ inire promittere, jurare, rogabantur, e-

orumque in perpetuam rei memoriam luculentas cautiones ederent. Hæ sunt leges illæ fundamentales in quibus, imperium & obsequium præsentis status vertitur; quæ si in unum contrahantur, una illud vinculum, de quo ante dixi, conficiunt: si sigillatim considerentur totidem nodos efficiunt, qui idem vinculum connectunt. Hæc sunt pacta inter regem & ordines, conventa, quibus in unum inseparabile corpus coaluerunt, sic ut ille capit*is* hi membrorum rationem tueantur & observent.

## § IX.

*Legislatoriæ potestatis communionem inter regem & ordines, evincit.*

**O**MNe igitur quod legum nomine fundamenta-  
lium veniat, id octo partium oritur ex ali-  
qua:<sup>1</sup> aut enim in legum ferendarum potestate cer-  
nitur;<sup>2</sup> aut in regni integritate,<sup>3</sup> aut religione,<sup>4</sup> aut  
lege successoria, tuenda defendenda conservanda, ver-  
titur;<sup>5</sup> aut in tribus suscipienda regiæ potestatis so-  
lennibus, satisdatione, coronatione, jurejurando, per-  
spicitur;<sup>6</sup> aut in forma regiminis,<sup>7</sup> aut Ordinatione  
comitiorum,<sup>8</sup> aut lege commissoria reliqvarum ve-  
lut propugnaculo & vinculo, spectatur: ex quibus  
omnibus constatur & efficitur id, quod in regno  
Sveciæ fundamentale dici mereatur. Cum vero hoc  
scripturæ genus non permittit ut de singulis hu-  
jus

jus unionis capitibus sigillatim nunc exponam, sequitur, ut ea tantum, quæ ad quotidianam regni Sveciæ administrationem faciunt, persequeantur, & quemadmodum unum hoc imperiale corpus una voluntate omnes imperii regii partes ad bonum publicum conjunctim exsequi debeat, ex formæ prescripto regiminis regiæque satisfactionis explicare sic aggrediar. Ac primum de legibus videamus. De quibus principio tenendum, earum facultatem latissime patere ad omniaque ea, quæ in regno Sveciæ geruntur vel publice vel privatim, se extenderet, adeo ut qui hanc potestatem pleno jure teneat, habeat, possideat, is totam majestatem intelligatur. Ita religionem, judicia, pœnas, moderari, magistratus & ministros constituere, oeconomiam publicam qua militarem, qua civilem ordinare, ærarium augere, tributa, vectigalia indicere, commercia, opificia promovere, monetam instituere, conservare, honores præmia dignitates conferre, bellum ac pacem componere, foedera inire, legatos mittere, & quæ sunt reliqua haec omnia potest, qui legislatoria facultate gaudet. Rursus, qui id non habent juris, ut leges possint condere, si ad nutum legum aut eorum, qui leges in potestate habent, omnia agere tenentur. Quando vero haec facultas conditionibus est adstricta, eas utique simul servare debent, qui illam levint ex equi, aut totali rem relinquerent. Quas cum

com-

complures secundi tertiique gradus reges in primis  
Dani atque Germani implere recusatabant, et si id  
facere imperii ante ~~ab~~ susceptionem accurate &  
promiserant & jurarant, nim: At Sveriges lag the  
som allmogin med god wilja och samtyckio vidertagit haf-

*Cap. 4.* § 1. wer / hålda och stycka och wårja: särlika at engin ny lag  
7. R. V. skulle gifwas Allmoganom/ utan ja och god wilja therā  
L. fångnom/ sive quod regesqva reges, non pactis obli-  
gari crederent, sive, ut pueros talis, sic viros jureju-  
rando esse decipiendos putarent, sive quod pacta  
inter se & populum inita, ut æqvales, mutato sta-  
tu vim omnem perdere, sibiique tunc ut superiori-  
bus imperium & obseqvium infinitum debe-  
ri, censerent; populus autem præstationem condi-  
tionum acriter urgebat, neuterque alteri cedere  
volet, tandem aliis post alium & imperio & re-  
gno exuebatur. At in prima absoluti epocha' im-  
perii in regem Gustavum I:m, facta plenæ pote-

